

statis Ferdinandi III. Pragensi, ita ad marginem fol. 1. subnotavit excitatus jam Mauchterus, quæ a Suecis 1648. 26. Julii capta et abducta, hic solus liber a Matthæo Mauchter Bibliothecario Casareo saluatus et Præga Typis Casareo — Academicis, M. DC. LI. f. prodiit. Editionis hujus fidem facit ipse Codex noster, in cujus calce legis: Imprimatur Andreas Kokr Officialis. Adjecta est editioni Vita Ernesti — ex vetusto manuscripto Codice de verbo ad verbum fideliter exscripta. Item Visio mirabilis ejusdem — ab ipsomet prope vitæ finem descripta, ex eodem Codice. Verum an. 1664. doctissimus Bob. Balbinus Arnesti vitam Præga 4. pluribus executus est. Mariale nostrum in Hipp. Maraccii Biblioth. Mariana Romæ 1648. 8. locum meruisset.

DCXXXIV.

125 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 395. f. per duas columnas currente calamo exaratus, rubricisque distinctus complectitur sine Autoris nomine vastum Opus de *Laudibus beate Marie* in XII. *Libros* tributum, Prologisque tribus instructum. Primi initium est: *Nota prudens lector et acquiesce obsecro bis, que tibi dicturus sum ad honorem dei et beatissime matris eius &c.* quo loco Libri sui formam, titulum, materiamque tradit Autor. Secundus incipit: *Uniuersis christi*

fidelibus inspecturis oculo simplici presens opusculum &c. tractatque, de utilitate ex Libro haurienda. In tertio, cujus initium: *Dictum est sancto Jobanni theologo &c.* ait, se rogatum ab amicis tam monachis quam monialibus de ordine cisterciensium hunc laborem suscepisse et de se subjicit: *Nomen uero meum malui subticere, ne tractatus forte uilesceret cognito tractatore.* Operis ipsius principium est: *Ave Maria gratia plena — Tres salutationes celebriores ceterum in evangelio reperimus &c.* Finis: *Quere expositionem huius auctoritatis XII. priuilegio prope finem capituli &c.* Deo gratias honor lausque marie &c. Adjecit facetus Librarius: *Explicit, Precium consumptum est deo gratias, et alia manus: Anno domini M^oCCCC^o.XXXVIII^o. ante festum omnium sanctorum.* Autor, quidquid uspiam Allegoriarum in Sacris Literis est, etiam obtorto non raro collo, ad Dei Matrem trahit, immemor illius: *Honor Reginae iudicium diligit.* Editus est primo ab inventa Typographia tempore literis paullo maioribus, sed admodum similibus iis, quibus *Jobannes Mentelin*, Biblia dedit, et prima fortasse, sed deinceps saepius ab Impresoribus commissa fraude, *Augustini Librum IV. de Doctr. Christ. Jobanni Faust* et *Petro Schöffer* suffuratus est, *f. l. et a. fol.* Rursus dein prelo subiectus a *Mart. Simo (Flach)* itidem *Argentinae* 1493. f. *facta*, ut ad calcem dicitur, *diligenti collatione preuia eiusdem*

2421

A S C E T I C I

2422

eiusdem libri ad exemplaria scripta. Non enim desunt ejusmodi, si *Oudinum* T. III. col. 158. et *Quetifum* *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 177. confulas, ubi et editiones subsequae memorantur. Harum tandem ultima procurata *Duaci* 1625. 4. nomen Auctoris praefert *Richardi à S. Laurentio canonici, Archidiaconi et Poenitentiarum Ecclesiae Rothomagensis*, qui circa medium Seculi XIII. vixit et scripsit, cuique opus hoc magno consensu Litteratores tribuunt. Quare falsus est *Petrus Jammyus* inferendo illud T. XX. opp. *Alberti M. Lugd.* 1651. f. cujus si causa agenda foret, dicerem, ad manum illi forte fuisse Editionem illam *Mentelianae* similem supracitatam, in qua operi *Alberti M.* Super *Missus* est opus *Richardi* continuo cohaeret. Ceterum curas de eo nostras, ut solet, jam praevertit *Lambecius* L. II. p. 776. edit. *Kollar.* col. 579.

DCXXXV.

832 Codex chartaceus lat. in confinio Sec. XV. et XVI. corrente calamo exaratus, Folior. 198. 8. continet: I. *Apologeticum.* i. tractatum responsorium *Magistri Alani de Rupe* ordinis fratrum predicatorum de *Psalterio beate marie virginis* Ad venerabilem Patrem *Dominum Fridericum de chuniaco episcopum tornacensem.* Intentissimus cultui B. V. per Rosarium in Belgio promovendo *Alanus de la Roche* s. *de Rupe Gallus Aremoricus* interpellatus fuisse videtur ab Episcopo obmotis Quaestionibus. *Denis Codd. Theol. V. I. P. II.*

Ad has igitur respondet hoc initio: *Laudate sic dominum ihesum christum et mariam cum omnibus veris fidelibus ut tandem sine fine cum angelicis spiritibus &c.* Scriptum istud XXIV. *Titulis* definitur, quorum I. *Quare* (Rosarium) dicatur *Psalterium.* Singulare illud, quod in fronte cujusvis *Tituli* Auctor adfatur Episcopum mire variata phrafi. Ita: *Famosissime in christo pater et domine. Excellentissime presul. Reuerende in christo pater et reorum refugium* et similia. *Fridericus* hic sedem adiit 22. *Murt.* 1474. et *Alanus* 8. *Sept.* 1475. mortuus est. Hinc scriptionis tempus liquet. Ut hic in *Codice* habetur, *Apologeticus* nunquam lucem vidit; nam *Job. Andr. Coppensteinius*, qui *Alani* opera *Friburgi* 1619. edidit, magna in refingendo stilo libertate usus est, ut queritur *Echardus* in *Scriptt. ord. Praed.* T. I. p. 850. quem, si voles, de *Alano* confules. Finis in *Codice* est: *qui est benedictus animarum sponsus regnans in secula seculorum Amen.*

II. fol. 46. *De Decem Bonis que proveniunt homini existenti in hac Fraternitate rosarij.* Opusculum istud ad praecedens non pertinere, argumento est praecedentis Subscriptio: *Explicit Apologeticus magistri Alani de rupe.* Sed neque in *Coppensteinii* Collectione existit, neque ab *Echardo* inter *Alani* Scripta memoratur. Capitibus constat XVI. quorum I. *de decem Bonis* praedictis. II. *de septem que indicant excellentiam huius fraternitatis.* III. *quare fraternitas* *hec*

H h h h

hec